



67
a

QJ.R. 191.

De cooperatoratione Divina in
38 reformat. ecclesiast. et propagand.
relig. evang.



RECTOR ACADEMIAE LIPSIENSIS,

NON MVTATAE CONFESSI^NIONI AVG^VSTANA^E,
ANTE HOS DVCENTOS ANNO^S INVICTISSIMO
ROMANORVM IMPERATORI, CAROLO V,
EXHIBITAE, ADDICTIS,

VNIVERSIS AC SINGVLIS,

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE AC DOMINO
NOSTRO IESV CHRISTO, IN SPIRITU SANCTO,

PRECATVS,

AD

IVBILAEA SECVNDA, A. C. SACRA,

PIO SOLENNIQVE RITV CELEBRANDA,

ET VII CAL. IVL. AVSPICANDA,

I N V I T A T.

REGATOR
ACADEMIE IHERINSEI

NON MATATAS CONTESTATIONI AUGUSTINII
ANTHONII DACENSIUS VINCIS IN ACADEMICO
ROMANORVM IMPERATORI CARLO TO AD
EXHIBITIONE ADDICITIS
MILITARES AC SIZILLIENSIS
CATARACTA ET PAGINA A DIO PATER AC DOMINO
PATER NOSTER QVI CANTABIMUS IN HOC SILENTIO



LIBRARIA SANCTA
A.C. SVGRY
IO SOLERNIOAE RITA SCIERVUNDI
ET NIGELLA MARCHIONDI
INVENTA



Regorius quondam Pontanus, ut erat
Vir grauis et magnae auctoritatis, In-
victissimo Romanorum Imperatori,
Carolo V, in comitiis Augustanis, Au-
gustanam Confessionem, a Christiano
Baiero, paulo ante, publice praelectam,
his verbis commendauit: *Divina coo-*
perante gratia, et Deo causam suam
agente, Confessio haec etiam contra in-
ferorum portas praeualebit. Praeclarum de ea re firmumque
testimonium nobis COELESTINVS, CHYTRAEVS,
et SECKENDORFIVS, (*) sunt impertiti. Et nos, du-
centorum iam interuersi annorum interiecti memoriam pia-
nunc grataque mente repetentes, quam vera fuerit haec prae-
dictio, re ipsa experti sumus, idque longo rerum vsu edocti con-
firmatique, ex rebus, saepe in discrimen extremum et fortu-
nae quasi aliquam dimicacionem adductis, cognouimus. Ha-
bemus enim, in hunc vsque diem, habebimus etiam deinceps,
a Deo apud nos depositum hunc incomparabilem thesaurum
integrum, sartum tectumque, atque ab omni derimento con-
seruatum. Deus haec *pupillam*, non dicam Saxonie, vel Prin-
cipum Euangelicorum in imperio Romano, vel, si ita mauis, Ec-
clesiae, qua est meliorum partium, vniuersae, sed *suam*, ipse de-
fendit potentissime, praesidioque suo et custodia perpetua in-
uiolatam, praefitit. *A Domino hoc factum est, et fuit mirabile in*
oculis nostris! Mirabilis quam maxime fuit in oculis animis-
que nostris, cum prima lucis Euangelicae instauratione, quae
postea se exseruit in Comitiis Augustanis, et Caesaris clemen-
tia, et Confessorum constantia, et auctorum Augustanae Con-
fessio-

(*) COELESTINVS, *Histor. Comit.*, fol. 190, refert, Pontanum his ver-
bis Caesarem allocutum esse, cum Augustanam Confessionem ipse manu sua
apprehenderet. SECKENDORFIVS, *Comment. de Lutheran.*, Lib 2,
Sect. 29, §. 65, et Sect. 35, §. 78, verisimilius esse, existimat, Pontanum hac
parhesia alio tempore usum fuisse, circa finem nempe Comitorum: Quod
ipsum CHYTRAEVS, *Histor. Aug. Conf.* pag. 374, quomodo, nomine
Electoris Saxon. reliquorumque Principum ac Statuum imperii Romani Pro-
testantium, quaque die, in Comitiis, illud factum sit, exponit, quocum optime
consentit IOANN. SLEIDANVS, *Lib. VII Comment. sui.*

fectionis concordia, et confessionis ipsius praestantia, et publicationis excellentia, et propagationis, per hostes etiam factae, magnificentia, et fructuum salutarium abundantia. Sed multo admiranda magis est in oculis animisque nostris potentissima sapientissimaque, et, per duo iam integra secula, a Deo continuata, sacrae huius arcis et propugnaculi defensio, aduersus hostium, nunc externorum, nunc internorum, infidias, atque impetus et incursiones innumerabiles, seu portas inferorum. Magna sunt haec opera Iebouae, exposita omnibus, qui delectantur illis. *Ipse gratiosus et misericors Ieboua ita fecit*, זכר לנפאלתני, memoriam his mirabilibus suis, Pf. CXI, 2, 4. *Ipse fuit nobis*, מחסָה, refugium et turris robusta aduersus inimicos nostros, Psalm. LXI, 4. *Ite, venite, videte opera Dei!* Reverendus et formidabilis est Deus in operibus his suis erga filios hominum. Canite gloriam nominis eius, et ponite in gloriam laudem eius. Dicite Deo: *Quam mirabilia sunt opera tua!* Proprius magnitudinem roboris tui mendaciter se dedant tibi hostes tui! Omnes incolae terrarum incurvant se tibi, et psallant tibi: Psallant Nomini tuo, ut quam maxime, Psalm. LXVI, 2, sqq. Celebrate Iebouam, quia bonus est, quia in seculum benignitas eius. Dicat nunc Israël: In seculum bonitas eius. Dicant nunc, qui sunt de familia Abaronis: In seculum benignitas eius. Dicant nunc omnes iumentes Deum: In seculum benignitas eius, Pf. CXVIII, 2, sqq. Simul, ac Deus, ante duo haec, et amplius, secula, studio ac ministerio MARTINI LVTHERI, Viri inuicti prorsus et diuini animi, ex diuturna, quae vniuersum antea orbem Christianum obscurauerat, caligine, in lucem reuocauerat coelestem Euangeli doctrinam, restituendo, et verbo suo maiestatem, et sacramentis integratatem, et Ecclesiae libertatem, et peccatoribus Seruatorem, Seruatori denique ipsi, qui ante Lutherum, p[re]e humili illo seruorum Seruo, vix nudum nomine retinuerat, decus et gloriam, dici non potest, quam subito se ipsae aperuerint, remotis vnde repagulis, portae inferorum omnes. Prodierunt inde et exurrexerunt aduersus ipsam hanc Euangeli doctrinam instauratam omnes claustrorum greges, quorum vis praecipua in ventre et lingua clamosa maxime potita est. Quicquid euomi et foras proiici poterat calumniarum, aut maledictorum excogitari, illud isti totis exonerarunt plaustris, nunc in Lutherum, nunc in eius sectam, seu haeresin. Sic enim

enim ipsam veritatem coelestem, a Deo reuelatam Christoque
nobis traditam, et semper in Ecclesia vera assertam atque Lutheri
ministerio instaurata criminabantur, prorsus ad exemplum Pa-
tris sui et sociorum suorum, qui describuntur Ioh. VIII, 44. Sed
Dei factum est benignitate iustitiaque, ut doctrinae Euangeli-
cae instauratae criminationes incepint esse eiusdem amplifi-
cationes, et maledicta, in Lutherum coniecta, cesserint eidem
in benedicta, tantoque vehementius ferierint auctores suos,
quanto fuerunt iniquiora, ferociora, crudeliora. *Benedictus sit*
Deus ille, et omnes timentes eum nunc dicant: In seculum beni-
gnitas eius! Quod conuiciis et contumeliis effici non poterat,
illud vi, ferro, flammis et vinculis, intendebatur. Horum enim
comminationibus additis, et, quod alias proprium est τε διαβό-
λος, in Angelum lucis conformati, admixtis non raro promis-
sionibus, blandis quidem, sed simulatis, bonisque verbis Luthero
datis, id vnum agebatur, non tam, ut Lutherus ea, quae hoc dum,
voce scriptisque et exemplo, recte, et more Prophetarum atque
Apostolorum, docuerat, reuocaret, atque ab instituto negotio
reformationis prorsus desisteret, quam, ut doctrina Euangeli ipsa
pura, in lucem claram iam quodammodo adducta, tenebris ite-
rum obductis opprimeretur. Pro hoc enim obtinendo fine,
nihil intentatum relinquebatur, cum ab aliis, tum maxime
Leone X, Pontifice Romano, eiusdemque successoribus, Adria-
no VI, et Clemente VII, horumque legatis, Thoma Caieta-
no, Hieronymo Rorario, et Laurentio Campegio, Cardinali-
bus, nonnullis etiam huius seculi Potentibus, a Pontificibus di-
ctis, eorundemque Legatis, aduersus Euangeli doctrinam non
minus, quam Lutherum, concitatis, atque ad illam adductis
ἐνέργειαι την πλάκων, qua sibi persuaderi, patiebantur, se per hoc
ipsum λατζέαν προσφέρειν, τῷ Θεῷ, Ioh. XVI, 2, II Thess. II, II.
Horum vero omnium hic unus exitus erat: Lutherus, in
principio ne auditus quidem, postea auditus quidem,
sed non conuictus, nedum confessus, Pontificis Romani pri-
mum, deinde etiam publicis comitiorum quorundam conuen-
tuumque, decretis, damnabatur, damnatus, vna cum doctrina
sanctissima, quae erat Prophetarum, Christi atque Apostolorum,
cum denuo instaurata, proscribatur penitus, proscriptusque
quouis modo de medio tollendus existimabatur pariter, atque
edicebatur. Nemo est unus omnium, qui ignoret Leonis X

literas illas, quibus Lutherum, iam anno M D XVIII, Romam euocauit, vel istas, quas eodem hoc anno, atque iterum anno M D XX, nunc ad Fridericum, Saxoniae Electorem, vere Sapientem, nunc ad Gabrielem Venetum, ordinis Augustiniani Promagistrum, nunc ad Carolum Miltitium, Germanum, Leonis cubicularium, nunc ad alias, perscripsit. Et quotusquisque est, cui nihil omnino cognitum perspetuumque esse possit vel de Adriani, Leonis X in pontificatu pariter, atque odio aduersus Lutherum, successoris maxime aemuli, ad Fridericum, Saxoniae Electorem, anno M D XXII datis literis, et his simili mis, ad reliquos imperii Romanii Principes, eodem hoc anno, Noribergae congregatos, missis, eiusdemque Formula actionis, quam dederat legato suo, anno M D XXIII, vel de Bulla illa, quam vocant, coenae Domini, in qua Pontifex Romanus, Cal. April. anni M D XXI, Lutherum omnesque eiusdem sectatores, nuper iam damnatos, magnis imprecationibus deuouit et execratus est. Quis est, qui prorsus ignoret VVormatiensis decreti, aliorumque editiorum, formulas, quibus dicti VVormatiensis decreti execuio, hoc est, Lutheri captiuuitas, et, quoquis modo, quoquis etiam in loco, ne sacro quidem excepto, et a quoquis, impune suscipienda, trucidatio haud tantum, sed, quod caput rei erat, lucis quoque doctrinae Euangelicae clarioris, ministerio Lutheri accensae, extincio, feueris admodum modis, vrgebatur, addita hac causa: *Lutherum aut non esse hominem, sed daemonem, sub humana specie latentem* (liceat nobis vti verbis SLEIDANI, ad Ann. 1520, et 1521 ex literis Pontificis Romani excitatis,) aut hominem, ab humani generis hoste, Satana, in orbem terrarum immisum, qui, ad insaniam usque, sit ambitiosus, et VVicleui, et Hussen, et Bohemorum, haereses, ante damnatas, resuscitet, qui popularem auram capiet, qui, falsa Scripturae interpretatione, simplicibus peccandi occasionem preebeat, qui continentiam profliget, qui delictorum confessionem, et huic annexam poenitentiam, eneruet, qui Turcas fauore prosequatur, qui impuris vocibus omnem Ecclesiae disciplinam euertat, qui poenas haereticorum deploret, et quae sunt cetera plura. Rebus ad hunc modum exacerbatis, et innumerabilibus in Lutherum, puramque Euangelii doctrinam, excitatis aduersariis, cum in perditis ac desperatis habenda omnia viderentur, et instauratae verae religionis

nis oppressio tantum non triumphatā hostibus iam appareret, Deus, velut ex machina, interueniens his rebus, se ipsum, ut מִרְחָסָה וּמִנְרָלָעַ, *vt refugium et turrem fortem, aduersus hostes suae veritatis*, tenebrarum licet portas fere omnes aperientes, demonstrauit. Demonstrauit, se esse potentiorē potentiis omnibus, se *corda Regum ac Principum habere in manu sua, et flectere ita posse*, vt Deum diligentibus, omnemque in eum collocantibus spem et fiduciam, in quibus, si quisquam aliis, Lutherus certe, Fridericus, et Iohannes, Saxonie Electores, reliquique pii Confessores, quam maxime excelluerunt, οὐεργάστων εἰς ἀγαθὸν, Rom. VIII, 28. Demonstrauit re ipsa Deus, negotium reformationis Lutheri, quoniam erat ἔγον ἐν τῇ Θεῷ, humanis consiliis, vi ac fraudibus, dissolui non posse, Act. V, 39. Omnes enim criminaciones, imprecations, comminationes, damnationes et proscriptiones, istae, Pontificibus Romanis fere solis, horumque consiliariis ac paraftatis, non Caesari, aut vlli bonorum Principum, attribuenda, quid aliud tandem effecerunt, quam, vt Euangelii doctrina, quo longius proscriptebatur, hoc latius se diffunderet, etiam extra Germaniam, et maiori desiderio a pluribus recipetur, et Imperator, Carolus V, pro excellenti naturae, quae in eo erat, bonitate haud tantum, nam mitissimus ac prudentissimus princeps fuit, sed Deo causam suam per illum quoque a gente, vt, inquam, pertaesus iniquissimarum istorum rerum, inclemoris maxime consilii Clementis VII, de foedere cum eo ineundo, deque haereticis (quo praeclaro nomine Confessores veritatis coelestis designabant) vi atque armis excindendis, Caesar inciperet Ecclesiae potius, quam Romani Pontificis, palam factis blanditiis ei illudentis, clam vero cum hostibus eiusdem colludentis, causam agere. Factum ex eo est, vt, religionis, in imperio Romano exortas, controvierias communis conciliū auctoritate, mallet, quam bello atque armis, decidi, quo ipso prima Augustanae, postea eidem exhibatae, Confessionis fundamenta posuit. *A Domino hoc factum est*, et sapientia ac benignitate eius incomprehensia. *Benedictus sit ergo Deus ille, Deus noster!* Adeste omnes, quotquot timetis eum, et dicite: *In seculum benignitas eius!* Nouae quidem Catholicae Ecclesiae tum temporis Praeful, Clemens VII, de communī suorum consilio Purpuratorum, non desit instare optimoque

moque Imperatori persuadere, ferro et flammis rem agere, et
militum potius, quam rationum, educere copias, id esse effi-
caciissimam praestantissimamque haereticos conuertendi, et
controversias fidei definiendi, rationem, et hanc nunc esse ma-
xime, si vnquam alias, prosequendam. Quo tamen ipso nihil
aliud est consecutus, quam, vt sibi ipsi bellum pararet, (sicuti
solent consilia mala consultoribus esse pessima) conseruatoque
aliquandiu misero et tumultuoso imperii statu, spem, vel le-
gitimi Germaniae, vel publici totius orbis, concilii, quam nec
omnino nullam, nec magnam, aliquoties fecerat, tanto faci-
lius infringeret et diutius suspenderet. Sed hanc quoque sa-
pientissimi instituti illusionem, a sanctissimo licet profectam
Patre, diutius ferre, et Caesar ipse, et plerique Germaniae Prin-
cipes, non poterant. Hi enim, Spirae congregati, iam anno
supra millesimum quingentesimo vigesimo sexto, tale concilium
decreuerunt, cuius intra annum fieret initium, et, ne mora,
vel impedimentum, interueniret, missa in Hispaniam ad
Caesarem legatione, orabant eum, vt quamprimum accedens
concilium procuraret. Ille vero, spem concilii huiusmodi, a
Pontifice Romano tam saepe suspensam, tamque temere prae-
clusam, intuens, cum anno MD XXX, Ianuarii die XXX, di-
missis in Germaniam literis, conuentum indiceret omnium or-
dinum Augustae, religionis potissimum, et Turcici belli, cau-
sa, in his comitiis ipsis Augustanis se obtinere posse, existima-
bat, quod a communi concilio, toties frustra expedito, sibi pro-
mittebat. Inde adeo et in literis illis, quibus comitia haec
Augustana indicebantur, et in oratione, in ipsis his comitiis,
nomine Caesaris, postea paelecta, qua causa indicti huius pu-
blici conuentus copiose exponebatur, humanissimis verbis o-
mnibus iniungebatur, vt, quod quisque, religionis causa, vellet,
id proponeret in medium, scripto scilicet comprehensum,
quo commodius atque celerius intelligi res possit ac defi-
niri. Verba ipsa sic fluebant: *Kayserliche Maiestät begereten
gantz freundlich und mit höchsten Fleiß und Ernst, Churfürsten,
Fürsten und die gemeine Stände, wollen, zu Förderung der Sachen,
ein ieglicher, vermöge berürt ihrer Maiestät Auschreibens, sein
Gut bedüncken, Opinion und Meinung, der berürtten Irrung und
Zwyßpalt, auch Mißbräuche, halben, zu Teutsch und Latein, in
Schrifft stellen, und überantworten, damit diese Irrung und Zwy-
ßpalt*

*Spalt desto besser vernommen und erwogen, auch zu einem einigen
Christlichen Wesen desto schleüniger verglichen werden möge. Ad-
didit clementissimus Imperator hanc quoque promissionem,
sē in hac re facturum esse, quod sui esset officii, pro sua erga
rempubicam atque patriam charitate. Ex quibus omnibus elu-
cet, Confessionis Augustanae, et conscriptionem, auctoritate
publica Caesarea, iussuque Statuum Protestantium, ac magno
Lutheri atque Philippi Melanchthonis, reliquorumque Theo-
logorum, consensu, suscepit, et productionem eius solen-
nem ac publicam, per omnes inferorum portas, quam maxi-
me quidem dilatatas, vsque adeo impediri non potuisse, vt e-
dicto potius publico fuerit demandata. A Domino hoc fa-
ctum denuo est! Ipse gratiosus et misericors Iehoua illud effecit,
quod nullis praefidiis humanis, et nulla prudenti solertique
ratione, praestari potuisset, nisi benignissimo huius nutu Nu-
minis et gubernatione gesta atque administrata fuissent omnia.
Benedictus sit ergo Deus ille, et omnes, Deum timentes, nunc di-
cant: In seculum benignitas eius! Quod proprium regni est te-
nebrarum, vt lucem fugiat, et salutaria omnia tenebrarum
caligine obducat, illud ipsi quoque in Comitiis his Augustanis
dissimulare non potuit. Persuaserant enim huic regno ad-
dicti Caesari optimo, et per se longe aliter existimanti, haere-
ticos, praesertim in tam solenni conuentu, non esse audiendos,
cum vel a praelectione ista haeretici istius scripti (quo no-
mine Confessionem nostram, neque visam, neque lectam, vel au-
ditam, denotabant) sint metuenda multa mala, in malis nume-
rantes ipsam quoque accensionem lucis Euangeli et fidei clari-
rioris in animis auscultantium, quippe quos tenebris circum-
fusos detineri, quam illuminari, maluerunt. Inde adeo, cum
Caesar in principio, illam doctrinæ coelestis formam, scripto
comprehensam, exhiberi tantum, ac postea deponi, iuberet, pii
nostris confessores necesse habuerunt, vt precibus multis atque
obsecrationibus praelectionem eius impetrarent. Factum est ex
eo, vt VII Calend. Iulias, in Palatio, quod Augustae est, Episco-
pali, publice, praesentibus Imperatore Carolo, Rege Ferdinan-
do, fratre, et ceteris Imperii Proceribus ac Delegatis, qui mag-
no numero aderant, de scripto Germanico recitaretur, tradi-
ta postea, et Latine, et Germanice conscripta, hac forma doctri-
nae coelestis in manus Caesari, qui, illam, velut κεράνθιον aliquod,*

pūblice recondī atque asseruari, iussit. Etsi vero ad hunc modum lucem illam Euangelii clarissimam, quae nuper admodum accensa erat, quamque Deus tenebrarum tenebris inuoluere, modioque tegere, vel etiam extinguere, intendebat, benignus et misericors Iehouah, qui Deus noster, candelabro infixerit tam clare praeluenti, vt radios suos quam celerrime per vniuersum fere terrarum orbem diffuderit, neque omnino sine omni fructu fuerit recitatio illa publica καλῆς τοῦτος τῆς ὁμολογίας, apud illos, qui ad eius preelectionem aures animosque non omnino interclusos retinuerunt. Nam et os impudenterissimum non nihil obstruebatur aduersariis, qui doctrinam Euangelii sanctissimam, non ita pridem instauratam, cum refellere non possent, calumniis immanissimis onerauerant, piis Confessoribus in summam inuidiam atque odium adductis, et suspicio Anabaptismi, Manichaeismi, Arianismi, Fanaticismi, omnium denique haeresium reliquarum et criminum grauiissimarum, perduellionis, seditionis, pedibus in primis concultatae erga Deum pietatis, atque erga magistratum reuerentiae, aliquo modo dimouebatur. Portae tamen inferorum ipsae oclusae penitus non sunt, sed tanto iterum latius aperiebantur, quanto longius Euangelicae doctrinae splendor elucere, seque ipsum magis magisque conspicendum omnibus, tot in primis Augustanae Confessionis translationibus adorantis, et tam longe lateque transmissis, praebere incipiebat. Quotus enim quique est, qui ignoret, quam durum, vehemens atque acerbum, scriptum, in his ipsis comitiis Augustanis, Romano Pontifici addicti Theologi vndeuitinti, in quibus facile primi fuerunt Ioannes Faber et Eccius, adornauerint, quod Augustanae Confessionis confutationem nuncuparunt? Etsi vero ipsi Principes, quorum iussu conscribebatur, improbauerint illud, leniendumque atque immutandum curauerint, postea tamen usque adeo est Caefari commendatum, vt publice preelegeretur haud tantum, sed dignum quoque iudicaretur, ad quod decretum conuentus Augustani, in omnium ordinum coetu recitatum, conformaretur. Palatinus enim Fridericus, nomine Caefaris, significabat piis Confessoribus, hanc esse Caesareae Majestatis voluntatem seriam atque ultimam, vt huic confutationi (vt putabatur, de Catholica et

sacrosancta fide, vel, si dicendum, quod res est, de voluntate Clementis VII, Caesaris optimi clementia abutentis, compo-
nitae) coniunctim, et vnamini cum Catholicae Ecclesiae con-
sensu, subscriberent. Quid, quod decretum Wormatiense hic
iterum, et Spirense etiam, vrgeretur. Sed his quoque rebus
effectum aliud nihil est, quam, vt Principes reliquique Ordines
Protestantium in Imperio Romano, ad nouum constan-
tiae exemplum, idque maxime illustre, edendum excitati, Ap-
ologiam suae exhibitae Confessionis procurarent. Etsi vero
haec etiam, cum Caesari per Pontanum in comitiis his offerretur,
accepta ab eodem non sit, addita hac causa, quod, non disce-
ptandi, sed dissentientes conciliandi, causa, comitia coegerit,
factum tamen ex eo est, vt omnes ex hac Apologia intellige-
rent, oblatam Confessionem firmam adhuc, nec ullis concus-
sionis machinis, persistere, istud vero scriptum, quod Augustanae
Confutationem Confessionis immerito nominauerant,
praeter Patrum sententias, incommodo excitatas, concilio-
rumque decreta, male accommodata, et sophismata aculeata,
seu fallaces conclusiunculas, nihil aliud continere. Sic Deus
iterum hic omnia fecit, et reuerendum se ac formidolosum erga
hostes suos non minus, quam gratiosum et benignum erga
constantes veritatis suae confessores, exhibuit. Eat hoc in
omnis aeui memoriam tam illustre exemplum, et longe ven-
tueros posteros doceat, nihil non posse perfici, quod Deo au-
ctore suscepimus est: *Benedictus sit Deus ille, Deus noster!*
Et omnes timentes eum nunc dicant: In seculum benignitas eius! Hic est enim ille gratiosus et misericors Iehoua, qui, in
his comitiis Augustanis, et robur infinitae potentiae, et ma-
gnitudinem incomprehensae gratiae, et profunditatem inex-
haustae suae sapientiae, quasi totam, exeruit, in Confessione il-
la nostra diuinae aeternaeque veritatis adornanda et exhiben-
da, in tot linguas describenda, in omnium manus diuulganda,
atque apologia quadam, ubi opus erat, afferenda ac vindicanda
haud tantum, sed etiam integra atque incorrupta, finitis
his comitiis, conseruanda, posteaque in numerum Symbolorum
Ecclesiae verae referenda, et, per duorum iam seculo-
rum decursum, ad nos propaganda. *Sit maneatque benedictus hic Deus, Deus noster!* *Adeste omnes, quotquot timetis Deum,*

canite gloriam nominis eius, et ponite in gloriam laudem eius!
Hic est enim Deus ille fortis et omnipotens, in quo pia haec
confessio firmum atque inexpugnabile praefidium, aduersus
omnes tenebrarum inferarum portas, hostiumque fraudes at-
que impetus omnes, semper habuit, qui piis itidem Confessorib-
us solatium perpetuum perfugiumque praebuit tutissimum,
qui eo magis fecuri fuerunt in hoc praefidio perfugioque, quo
magis humanis praefidiis erant destituti. Namque in solius hu-
ius Dei ope atque auxilio spem omnem posuerunt, cedere bo-
nis, et ipsum spiritum effundere, parati, si veritatem tueri aliter
non liceret. Hic est Deus ille O.M., qui, in tam multis, priuato
maximeque temerario ausu suscepit, Philippicis mutationibus,
non mutatam, sartam, tectamque et germanam, hanc doctrinæ
coelestis fideique ac morum Formam nobis reseruauit, mutata
interim ista et non germana Forma suis relicta astipulatoribus
ac sociis non germanis. Illud etiam quam admirabile et pror-
fus diuinum est existimandum, quod, cum in apricum Aduersarii
emergentes, veritatem coelestem, tam solemnitatem in lucem
adductam, tamque praeclare assertam, modis omnibus preme-
re, cursumque eius impedire, et, velut in primis carceribus siste-
re ac suffocare, contenderent, cum bello Germanico, quod Pro-
testantium vocatur, oppressa propemodum et penitus extincta
videretur veritas, cum nouam et miseram multarum Ecclesiarum
faciem reddidisset infelicissimus ille Sidonii, Pflugii atque
Agricolae, foetus, *INTERIM* dictus, cum fulmina accederent
anathematum Concilii Tridentini, atque innumerabilia mala
plura alia, quae ab omni spe deicere pios Confessores facile
potuissent, quod, inquam, tandem tamen bona iterum causa
triumphare incepit, et cum anno post millesimum quingen-
tesimo et quinquagesimo secundo, veritas, velut palma, denuo
enituerit, Passauensi pacè constituta, eademque, post annum
tertium, in Comitiis Augustanis, publica et solenni sanctione
confirmata. Per huius enim transactiones pacis, plena est con-
cessa religionis libertas Augustanae Confessioni addictis omni-
bus imperii Romani Principibus, reliquisque Ordinibus, im-
mo, Regibus quoque et Principibus aliis, Imperii Romani fini-
bus non comprehensis, Augustanae Confessioni deditis. Cau-
tum praeterea sanctissimeque constitutum est, *ne quis alium*

reli-

religionis causa, vi factaque, aut alias, contra conscientiam, co-
geret, aut, ea de causa, vi belloque peteret, vel inuaderet, vel op-
pugnaret, vel damno illato, siue per mandata, si alio quouis modo
grauaret, vel contemneret, vel, grauari contemnique, fineret. etc.
Ita vero Confessio haec nostra, quae antea tot odiis exposita,
iniquissimis censoribus ad confutandum tradita, supra omnem
modum despeta ab Aduersariis et reiecta, erat, ad illud digni-
tatis auctoritatisque fastigium euecta est, vt publicae etiam pa-
cis, vel conditionem, vel fundamentum, constituerit, praefertim,
cum superioris seculi anno octauo et quadragesimo, per
pacem etiam VVestphalicam, Passauiensium illarum atque Au-
gustanarum transfectionum, noua et publica quaedam accesser-
it confirmatio. Nemo, vel ad humana consilia, vel ad bello-
rum quorundam infelices incertosque exitus, vel ad Caesa-
rum, qui tum imperio praefuerunt, clementiam solam, hoc re-
ferat, sed ad Deum ipsum, qui est Deus pacis, et Deus confessio-
rum suae veritatis, Deus noster. *Benedictus sit ergo hic Deus, et*
*Pater Domini nostri Iesu Christi. Cantate huic Domino canti-
cum nouum, quia fecit mirabilia.* *Seruauit sibi dextra et brachio*
suo sandrum suum. *Notum fecit hoc salutare suum, et in con-
spectu multarum gentium iustitiam suam reuelauit.* Lutheri
post obitum, cum Theologorum quorundam discordia nouas
lites moueret, de necessitate bonorum operum ad salutem
aeternam, de viribus liberi arbitrii, de peccato, quod vocant,
originali, eoque ipso non leue detrimentum veritati, per
Confessionem A. tam praedclare nuper assertae, inferret, cum
Crypto Caluinistus iterum, vt dicebatur, seu Philippinus,
aliquam sibi sedem in Saxonia ipsa deligeret, diuina factum
est benignitate ac prouidentia singulari, vt, illa, per Formulam
Concordiae, sublata, et hoc, propositisque quibusdam Arti-
culis. Visitatoriis, proscripto, Augustanae confessioni non
tantum nihil decederet, sed haec multo etiam clariori luce
circumfusa exsplendesceret, piique, qui tum aderant, Confes-
sores nouum et maxime illustre constantiae concordiaeque
exemplum ad posteros transmitterent. Et quid tandem pro-
fecit hostis ipse infernus, per ducentos nunc aunos portas
suas omnes aperiendo, tenebrarumque, et errorum, et insi-
diarum, et fraudum, et terrorum, et promissionum et blan-
ditia-

ditiarum, copias educendo, hostesque omnis generis, nunc manifesto non sanctos, nunc sanctitatem simulantes, nunc externos, nunc internos, concitando et secum adducendo, quam, ut arcem illam nostram inexpugnabilem frustra oppugnauerit? Demus illud (ut paucis multa complectamur) hostem hunc infernum impotentissimae irae suae vim omnem, nostra quoque maiorumque nostrorum memoria, exeruisse, omneque astutiae suae venenum simul euomuisse, ἀδότα, ὅτι ὀλίγον πειράσθηκε. Demus, hunc hostem, praeter spiritum Anti-Christi, excitasse etiam in primis spiritum Indifferentismi, Atheismi, Naturalismi, Rationalismi, Fanaticismi, qui postremus reliquos omnes facile superat, egregiam lucis atque sanctitatis speciem prae se ferens. Demus etiam illud, alienos non nullos factos esse ab ὑποτυπώσει illa nostra ὑγιαινότων λόγων ἐν πίσει κοινωνίᾳ την ἐν Χριστῷ Ἰησού, et pauciores esse illos, qui, quo decet, diuino cum zelo veritatem integratatemque doctrinae coelestis, Confessione hac nostra germana comprehensam, eaque cum παρέγνοισας ἐλέγχος ac πληροφορίας fidei, preceum fiduciaeque in Deum collocatae, tueri velint, qua Lutherus, quā Principes reliquique primi Confessores vtebantur. Causae tamen ipsi bonaे nostrae, per se spectatae, derogatum est omnino nihil, nec Deus propterea desit causam suam agere, et, quos nouit esse suos, contra omnes inferorum portas tueri potenter et defendere. אֵין לְהוֹשִׁיעַ מַעֲשָׂר בְּרַב אֶלְעָם Iehouae non est impedimentum ad saluandum, per multos, aut per paucos. 1 Sam. XIV, 6. Hic est ille Deus, qui inuictissimum quondam Romanorum Imperatorem, Carolum V, cum Confessoribus primum fauore ac benevolentia, ad ultimum confensione etiam doctrinae, Confessione nostra illa bona comprehensae, coniunxit arctissime, nec, per mortem ipsam separari, voluit. Idem ille Deus, nostris etiam, in quae nos referuauit, temporibus suis, quos nouit, germanis Confessoribus praesidium idem perfugiumque praebet inexpugnabile. Non abbreviata est manus Iehouae, ut non possit saluare, nec grauis est auris eius, ut non possit audire suae veritatis propugnatores, hoc est, veros adoratores suos, qui inuocant eum in spiritu et veritate. Etiam nunc Deus habet in manu sua corda Regum ac Principum, et flectere potest, quor-

quorū sum vult. Sacuiat ergo furor omnis inferiorum, quantum volet, et totis viribus incumbat veritati, ducentos hos ante annos tam praeclare et publice asserrae. Veri eiusdem confessores iuxta, atque adoratores Dei inuicti, semper, et securi, et hilares, et imperterriti, exemplo Lutheri reliquorumque primorum Confessorum, stabunt, quia se totos permittunt Deo, Deo (vt iterum loquamur cum Pontano) *suam causam agenti, diuinaque sua gratia cooperanti.* Hac quam diu non excedent, nulla illos ruina feriet, non, si vel vniuersus orbis illabatur. *Qui enim sedent in latibulo Altissimi, et in umbra Fumminatoris indefinenter permanent, hi dicunt Iehouae: Tu es refugium propugnaculumque nostrum, o Deus noster, in quem speramus.* Atque hic est ille, qui liberabit eos a laqueo aucupis, et a peste perditionum. Haec, haec, illa sunt, quorum recordari, omniumque simul, omnibus veris confessoribus, per ducentos nunc annos, cumulatissime concessorum, beneficiorum diuinorum memoriam, hodierna illa die, repetere, et Deo gratias, quas mente concipere possumus, maximas, pro illis persolue-re, debebamus.

Quod ergo felix et faustum sit, quod Deo gloriosum, Ecclesiae *γνησίως* Euangelico Lutheranae salutare, sit, quod denique ad conuersionem redditumque multorum, et cum vero coetu gregeque Dei coniunctionem, tendat, iussu ipsius Dei, qui fecit, *זכור לְנִבְרָאתֲךָ* memoriam his mirabilibus suis, qui vult, nos recordari dierum superioris seculi, atque interrogare maiores nostros, ut nobis referant, quam reuerendus et formidabilis fuerit Deus in suis operibus, Deut. XXXII, 7, Esa. XLVI, 9, fiet. Fiet etiam de voluntate *Potentissimi Regis Poloniarum atque Electoris Saxonum, FRIDERICI AVGVSTI, Domini et Nutritii nostri Clementissimi*, vt, ad diem XXV Iunii, hoc est, illum ipsum VII Cal. Iul., qui ducentesimus religionis nostrae, in Augustanis Comitiis assertae publiceque professae, natalis est, triduum Sacrum peragamus haud tantum, sed aliis etiam solemnitatis secularibus haec Iubilaea sacra Euangelica concelebremus. Die XXIV Iunii, qui erit Festus Dies, Iohanni Baptiste sacer, concionibus *πραξεων ευαγγελιον* habitis sacris, auditorum animi ad futura solennia secularia excitabuntur. Sequentes autem dies tres toti feriati erunt, praelectioni Augustanae confessionis, in sacris coetibus publice instituenda, haud tantum, sed etiam orationibus sacris consecrati, quibus textus sacri, his secularibus festisque gaudiis maxime accommodati, explicabuntur. Ita totum hoc triduum, et memoriae beneficiorum diuino-

rum,

B3 3454 64

rum, et precibus, et hymnis sacris, insumetur. Dies etiam XXVIII, M.
Jun. nobis solennis erit, quippe in quo Orationes duae seculares, in Aede
Paulina, soluto altera, altera ligato, sermonis genere, habebuntur. Re-
liqui Dies nunc Orationibus aliis, nunc Disputationibus publicis, de-
stinati remanebunt. Hic futurus est secularium nostrarum solemnitati-
rum apparatus. Quam ob rem, quod reliquum est, vniuersos nunc
et singulos, *νησίας*, coelesti addictos veritati, tam praeclare, ducentos
ante hos annos, professae, inuitamus, non ad inania spectacula aut
pompas, quibus vulgus atque otiosi homines delectantur, quae, simul,
ac subductae oculis sunt, euaneantur, sed ad publicum sanctumque
Dei cultum, in quo Deo immortali, pro ineffabili eius bonitate, qua-
nos, per ducentos hos annos, affectit, proque beneficio illo, nullius vin-
quami voce calamoque satis praedicando, quod in nos, qua reuelan-
do, qua tuendo ac conseruando, veritatem, contulit, debitas laudes et
gratias publice reddemus. Rogabimus quoque eundem hunc Deum
Patrem, ac Dominum nostrum, Iesum Christum, ut excitet nobis nullo
non tempore, viros in Ecclesia, Luthero reliquisque primis confessori-
bus simillimos, qui, *gratia diuina cooperante*, et *Deo suam causam a-
gente*, aduersus omnes inferorum portas, inuicti consistant, diuinam-
que illam et coelestem veritatem imperterriti defendant ac tueantur.
Adeste igitur, quotquot Deum timetis, *iubilate nobiscum Deo, quia
fecit mirabilia.* Salutem sibi acquisiuit dextra sua, et brachio suo san-
cto. Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium hostium
que infenissimorum reuelauit iustitiam suam. Viderunt et audiuerunt
omnes terrarum fines salutare Dei nostri. Iubilate igitur Domino, omnis
terra, cantate, exultate et psallite. Laudate nomen eius, quia benignus
est, et in aeternum misericordia eius, et *vque in generationem et gene-
rationem veritas eius*, aduersus quam portae inferorum nunquam
praevalebunt. P. P. Lipsiae, Domini. II post Fest. Trin.
Anno R. S. M DCC XXX.

LITERIS IOANN. CHRISTIANI LANGENHEMIL



mc.

X 2311242

G.R. 191.

38 De cooperatione divina in
reformat. ecclesiast. et propagand.
relig. evangcl.

V
5414

RECTOR ACADEMIAE LIPSIENSIS,

NON MVTATAE CONFESSIONI AVGSTANAE,
ANTE HOS DVCENTOS ANNOS INVICTISSIMO
ROMANORVM IMPERATORI, CAROLO V,
EXHIBITAE, ADDICTIS,
VNIVERSIS AC SINGVLIS,

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE AC DOMINO
NSTRO IESV CHRISTO, IN SPIRITU SANCTO,

P R E C A T U S ,

A D

IVBILAEA SECVNDA, A. C. SACRA,

PIO SOLENNIQVE RITV CELEBRANDA,
ET VII CAL. IVL. AVSPICANDA,
I N V I T A T .

